

Votum Nuptiale

# INFELICISSIMUM AVSPICIUM

NUPTIARVM SECUNDARVM VIRI VIRTUTE PRÆ-

stantis, nec non literis conspicui DNI. IOANNIS WICK

civis Rigensis SPONSI matrimonio-  
nium contrahentis:

cum

## Virgine Pudicissima, Venustissima BARBARA

ab HOFE, Magnifici Amplissimi magnoq; rerum usu Præstan-

tissimi viri Dni. CASPARI ab HOFE Consulis

ciuitatis Rigensis filia SPONSA

Conscriptum

M. IOACHIMO RIPPPIO

**A**mina quæ tibi Sponse damus nunc, accipe lætus  
Nam canimus tædis mollia fata tuis.

Scilicet auspicijs vivas melioribus opto,

Fataq; nec redeant quæ tibi nota privs

Quando mors sociam invidit tibi tristis amatam,

Et tibi lugenti BARBARA rapta fuit,

Quæ donec licuit vitali vescier aura,

Altera pars cordis lux fuit atq; domus.

Hæc nunc extinctâ, ne sint sine luce Penates,

En aliam accendis nunc tibi Sponse facem.

Fax hæc Sponsa nova est, orbas quæ illuminet ædes,

Prudenter curans arte fideq; domum.

Quæ reparet, fatum quo te privavit amorem,

Sarcinat & vidui damna priora tori.

Sponsa nova hoc faciet, quam lectam è mille puellis

IANE tibi stabili junxit amore Deus.

Hujus si genus & generis primordia spectes,

Non venit è media plebe puella tibi.

HOFIVS est Genitor vir servantissimus æqui

Consul honoratum nactus in vrbe locum

Cujus in exulto præclaræ pectore dotes

Lucent, quas cives non sine laude colunt.

Non opus est chartas verbis consumere mille

Illius illustrent quæ decus elogio.

Nemo est in totâ Dominum qui nesciat urbe,

Noticiam illius summus & imus habet

Iamdudum virtutem eius Respublica novit,

Si mentem ignoras, facta tuere, scies.

Hinc majore foret merito celebrandus honore

Et verlu dignus splendidiore cani.

Quid matris memorem elogium, pietate perenne

Quæ meruit pulcro quæq; pudore decus?

Ante alias urbis virtute nitebat alumna,

Castâ, modesta, gravis, sedula, comis erat.

Magnum igitur sic undelibet tua Sponsa meretur

Laudem, quoquo oculos vertere Sponse velis.

Non decus huic desit patria de stirpe profectum,

Non honor ex matris stemmate justus abest.

Nec virtutis inops, nec moribus absq; pudicis,

Ipsa viri tanti est digna reperta toro.

Est pia, pulcra, pudens, puro venerariet unum

Novit honore Deum, novit amore virum.

Quæq; hilaris veterem relevans medicamine luctum,

Incendet vacuum pectus amore novo.

Ardentesq; faces referret, tibi reddet, acerba

Quæ rapuit conjunx gaudia morte prior.

Quare ut dilectæ lugebas funus ademptæ

Conjugis, & sociæ stamina rupta tuæ

Vtq; ipsam graviter deflens, tot inania, morti

Cum gemitu lacrymas, munera sæpe dabas;

Sic positâ cura positoq; labore IOANNES,

Dulcia nunc cupida gaudia mente cape.

Lætare, & Domino grates persolvito dignas,

Denuo quod sociam junxerit ipse piam

Du'cia sic cupida quoq; gaudia concipe mente

BARBARA, quod tanto digna reperta vito es

Eximij cuius mores & vivida virtus,

Praclarè fulgent de bonitate sua.

Hunc cole, ceu par est, hunc læto amplectere vultu,

Illius ad nutum te studiosa refer.

Hæc est grata Deo pietas, huic aduolat alma,

Innueris vitæ pax onerata bonis.

Alme pater, primos thalamo qui jungis amores,

Inq; una statuis vivere carne duos:

Eia age cæpta tuo sacrata favore secunda,

Auspice te junctus sit sine labe torus.

Et tu sancte Patris Flatus, Natiq; potestas,

Cuius inextinctus flamine spirat amor:

Da, qui fervet amor modò, ne deserbeat unquam,

Da lætum, placidum, conjugiumq; ferax.

Hæc votis exopto meis sed plura petitis,

Largiflua usq; Deus conferat ipse manu.